



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum Societatis Iesv instituit

Ribadeneyra, Pedro de

Coloniæ Agrippinæ, 1602

Cæsaraugustæ seditione ab aduersariis concitata, nostri vrbe cedunt: mox honorificè reuocantur. XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45323

possent, Patriachæ, & focijs Episcopis, nouē alios comites Ignatius addidit, Italos, Flandros, Lusitanos, Castellanos. Quos omnes Ioannes idem optimus Rex per benignè complexus, cum alijs muneribus, tum vestibus sacris, ijsque omnibus, quæ ad pontificium cultum, & cæremonias pertinent, regio sumptu donatos, cum magna classe in Indiam misit, vt inde ad Claudium Regem, Dauidis iam mortui successorem in Aethiopiam trajicerent.

*CAESAR AVGVSTAE SEDITIO-
ne ab aduersarijs concitata, nostri vrbe
cedunt: mox honorificè reuo-
cantur.*

CAPVT XIII.

SVb idem tempus, Cæsaraugustæ grauis in nostros tempestas cōcitur. Eam, quòd omnium, quibus ad hunc diem Societas defuncta est, maximā iudico, exitu verò etiam latissimam, paulò latius explicabo. In vrbe enim Hispaniæ nobilissima, atque amplissima, cognita iam multis, & probata Societate, per viros professione religiosi gestares est, Cæsaraugustæ igitur
ædes

ædes amici quidam suo & ciuitatis eti-
am ære nostris emerunt, ad Collegi-
um Societati constituendum. Magnus
eò concursus fieri cœpit ciuium, qui
ex cōsuetudine nostrorum egregium
fructum percipere videbantur. Permo-
lestum hoc accidit Monachis Augu-
stinianis (qui per id tempus laxius viue-
bant, nunc verò obseruātiores sui in-
stituti sunt) tametsi eorum cœnobium
à domo illa nostra longius abesset. Cu-
rio item D. Magdalena grauer admo-
dum tulit, nostros suæ parœciæ esse vi-
cinos. Archiepiscopus autem Cæsar-
augustanus vir professione religionis
genere, autoritate clarissimus, minus
nobis propitius existimabatur: cuius
potestate, quam habebat amplissimā,
suo ad omnia arbitrari eius Vicarius
utebatur. Qui quidem propter Curio-
nem (quem diximus) D. Magdalena,
quocum non solum amicitia, sed san-
guine etiam esse cōiunctus vulgo cre-
debatur, à nobis erat alienior. Ergo
Augustiniani illi Patres, nostros illa in
ciuitate esse grauer dolent. Vicarius
doloris socius adiungitur. Aliquorū
Ordinum viri religiosi sollicitati cum
illis sese coniungunt: denique commu-
ni consilio contra nostros conspirant.

Causa

Causa honesta quæritur : optima visa est facelli institutio, quæ in parte quadam ædium parabatur à nostris, ut eo videlicet vterentur, tantisper dum novum illis templum Deus ædificaret. Hoc facellum aduersarij institui posse negant, quod intra certos fines (canas vocant) illud contineri dicerent, & ipsorum priuilegijs à Sede Apostolica impetratis nostros excludi. Re diligenter inuestigata, comperum est facello nihil obstare. Nam & nostra priuilegia posterius impetrata illorum priuilegijs derogabant: & reuera longius domus nostra distabat, quam ut limitibus illis ac finibus comprehenderetur. Itaque ratione vbi nequeunt, de possessione nostros vi & potestate deturbare contendunt. Nostri Archiepiscopus aduenit, oratorium aperiendi facultatem petunt, priuilegia Apostolica, quibus id fieri liceat, ostendunt, facellum ornant atque instruunt, Proregem ac primam nobilitatem inuitant. Paratis omnibus, in ipso sacrosanctum mysterium peragendi articulo, Augustinianus quidam monachus Augustinianorum Conseruator, quod contra priuilegium suorum esset, ne in facello sacrum faciant nostris interdicit. Viris pijs,

pijs, Deum timentibus, prudentibus, literatis ea de re consultis visum est, & prohibitionem eiusmodi esse inanem ac nullam, & multis alijs de causis haud pertimescendam. Cum ergo nostri in incepto perseverarent, Archiepiscopi Vicarius edictum proponi, & nostris valuis affigi iubet, quo omnibus Curionibus ac illius civitatis Vicarijs mandat, ne suos nostro in sacello Missam, aut diuina officia audire permittant, excommunicationis poenam in rebelles atque inobediētes ferant. In summa, eò demum progressa res est, vt nostris diras omnes atque execrationes publicè imprecarentur: in numero impiorum ac sceleratorū eos haberent: ab ijs omnes decederēt: aditum eorum, sermonemq; defugerent. Nam & sacrificijs populo interdictum est, si quis aditu nostris aut congressione iungeretur: & homines nobilissimi atque amplissimi, quòd Vicarij decreto nō stetissent, eieci de templis, atque exturbati sunt. Quibus quidem in templis omnibus fere concionatores nostrorum nomen dilacerarūt: Archiepiscopus sua potestate dānavit: omnes omniū Ordinū conventus, Sacerdotum item cœtus, publicè

ana-

anathematizarunt: eo ritu, atque ijs
ceremonijs, quæ in huiusmodi rebus
adhiberi solent grauissimæ. Interdictū
etiam publicatū est, quod tam diu vim
obtineret, quamdiu nostri in illa essēt
ciuitate. Quibus rebus fiebat, vt vulgus
nostros quasi piacula quædam diffu-
geret, atque exterminatos ex sua ciui-
tate cuperet, quos tot diris execratio-
nibus videbat notatos. Prefertim cum
aduersarij inuidiæ flammam ventila-
rent, & rudib. atque imperitis religio-
nem obijcerent, si quis fortè sermone
nostros, & communi salutatione non
indignos existimaret adhuc. Denique
detestationem nostrorum proscribūt,
publicè in cippis, ac vrbis triuijs pro-
ponunt: expingunt nostros ea specie,
atque habitu, agnosci vt facilè possent.
Error quo omnis absit, ipsorū nomi-
na adscribunt. Cacodæmones horribi-
li forma ipsos raptantes adpingunt:
flamas subiiciunt: probrosas appella-
tiones addunt: plura etiam affingunt,
quam fieri solent in perditissimos Ec-
clesiasticæ disciplinæ contemptores.
Immò verò longius prouecta est im-
pudens: ac cæca quorundam temeri-
tas, atq; eò vsque prolapsa, vt Petrum
Augustinum, Oscensem Episcopum,
virum

virum nobilitate atque virtute eximium, ciuem Cæsaraugustanum, eodem habitu, atque forma expingerent, quod nostrorum esset Conseruator. Nostri domi se continere, pueri cateruatim irruere, ianuam, tecta & fenestras saxis impetere; omnia clamoribus replere. Si quem verò domo exire grauis aliqua causa compulisset: illū quasi monstrum aliquod inuisum, insequabatur puerorum turba insultantium. Et hæc quidem vulgo: quæ tamen hominibus prudentibus, & suo momento res æstimantibus, grauias videbantur, & Christianis moribus indigna. Intelligebant enim, ex nullo suo peccato conflata esse nostris inuidiam; neque tamen aut contra Archiepiscopi niti auctoritatem audebant: aut furenti se multitudini obijcere: aut Religiosos viros sui officij admonere, & concitatae seditionis coarguere. Erat enim tumultus seditiosæ plebis, & imperiti vulgi clamoribus concitatus, non conditorum virorum ac nobilium in nostros conspiratio, aut in Societatis nostræ perniciem consensus. Nam nobilissimi quique viri atque grauissimæ nobis stabant. Quamobrem, cum ad ædes nostras magna manu perditii homines

mnes aliquando cateruatim irruerēt,
 rumorque increbuisse, nostros in di-
 scrimine versari, isque ad multos no-
 biles atque egregios ciues, qui pile pal-
 marie lusum vel exercebant, vel spe-
 ctabant, esset perlatus, repente illi ludo
 relicto, nonnulli etiam seminudi, vt e-
 rant, domum nostram armati conuo-
 larunt: vt nostros & ab iniuria defen-
 derent, ac periculo eriperent, & auto-
 ritate, atque armis etiam si opus esset,
 imperitæ plebis clamores atque impe-
 tum sedarent, vimque operarum, vi de-
 pellerent. Ergo cum armatam nostri
 in se ciuitatem viderent, & in conten-
 tionem, atque discrimen adduci, con-
 niuere Archiepiscopum, ardere eius
 Vicariū, Monachos instare, vulgus vr-
 gere, turbari omnia, ac misceri: neq; Pō-
 tificiam autoritatē, quā Sedis Aposto-
 licæ legatus, neq; Regiam, quā seuerè
 interposuerat Serenissima Ioanna Ca-
 roli v. filia, Hispaniarum Gubernatrix,
 neque vlla ratione tantam tempesta-
 tem sedari, aut mitigari potuisse: quod
 Diuum Gregorium Nazianzenum,
 Constantinopoli, minori causa fecisse
 legimus, in tanta rerum perturbatio-
 ne, facere ipsi statuerūt: & ea vrbe dece-
 dere, quā nulla quidem sua culpa, sed
 pro-

Rufin.
hist. eccles.
lib. 1. c. 9.

propter se tamen videbant turbatam.
 Ergo in Senatum veniunt: eum vnus
 suo & sociorum nomine alloquitur:
 docet nostros ciuium rogatu, & Patrū
 suorum iussu Casaraugustam venisse:
 in ea tot annos ita esse versatos, vt,
 quantum in ipsis fuerit, offenderint
 neminem: pro Societatis instituto cu-
 rasse se, ne pietatis vllum officium ab
 ipsis, aut obsequium desideraretur. Ne-
 gligenter quidem, & minus strenuè se
 laborasse (quod & agnoscerent, &
 dolerent) sed bona certe fide, ac volun-
 tate, magnoque salutis illorum desi-
 derio. Quoniam verò neque omnium
 vna mens sit, neque idem de rebus iu-
 dicium, hoc suum studium probare se
 multis non potuisse, quorū opera tan-
 ti motus sint concitati: rem eum in lo-
 cum venisse, quem vident: sibi nefas
 esse: id committere, vt proter se di-
 scordia, aut perturbatio vlla in ciuitate
 sit. Non est, inquit, dissensionis Deus,
 sed pacis. Si propter nos orta est repe-
 stas, tollite nos, & mittite in mare.
 Quod in nobis est, pacē, cum omnibus
 habere volumus: pacē inquirimus, pa-
 cem persequimur: quā vbi cunque gen-
 tium, Deo duce, nos consecuturos, &
 facultatem pro Christo laborandi, no-
 bis

1. Cor. 10.

1. Tim. 1.

bis non defuturam speramus. En ædiū
 vestrarum claves, Vrbe hac cedimus,
 ne qua radix amaritudinis sursum ger-
 minans, caritatem impediāt, & per illā *Heb 12.*
 inquinentur multi: loci enim perexi-
 gua iactura est, permagna caritatis:
 quā ne amittamus, libēter ciuitatem a-
 mittimus. Neque tamē (nisi nostra nos
 fallit opinio) vestram omnium in nos
 benevolentiam amitemus: quam tam
 benignam, tam paratam experti sē-
 pesumus, eamque & agnoscimus, &
 grata memoria conseruabimus. Et quo-
 niam ad remunerandū, nobis nihil
 aliud suppetit, Deum assiduē precabi-
 mur, vt cuius in nos caritatis ipse au-
 tor fuit, eius vobis fructum quam cu-
 mulatissimē retribuāt. Nobis stat abi-
 re. A vobis, qui publicam personam ge-
 ritis, etiam atq; etiam petimus, vt quæ
 nostra culpa contracta sunt in vestra
 salute procuranda, nobis ignoscatis:
 consilium nostrum probetis, ac per-
 suasum habeatis, mutare nos solum,
 non voluntatem. Quæ quidem, vbi
 placatis fluctibus licebit vti (quod bre-
 ui futurum in eo confidimus, qui post
 tempestatem tranquillū facit) nihi-
 lo minus quam hactenus fuit, vestris
 cōmodis obsequē erit. Adhęc Magi-
 stratus,

stratus, sibi & perturbationem ciuitatis molestam esse, & nostrorum voluntatem gratam: palam esse, quorum opera plebs tumultuetur, nostros velle sui similes esse: vt quorum mansio ciuitati plurimum vtilitatis attulerit, eorum ex vrbe discessus, non minus admirationis adferat. Conseruatos se huius beneficij memoriam, & haud ita multo post testificaturos, quod fuerit ipsorum de nostris iudicium. Dimisso Senatu, domum nostram Senatores aliquot veniunt, nostram paupertatem adspiciunt: quæ de abundantia nostrorum, ac delicijs acceperant, eorum falsitatem re comprobant: quidam etiam, quod auditis fidem habuissent, suæ facilitatis, errorisque veniam lacrymis petunt: supellectilem scribunt, proficiscentes nostros prosequuntur, pecuniam offerunt, gratias nostri agunt, & repudiant. In oppidum Pedrolam, quod in Ducis Villæ formosæ ditio est, se recipiunt. Porro Iona præcipitato de nauis, stetit mare à feruore suo. Hoc enim facto, nonnihil aduersarij mitigantur: multum de cōteatione remittunt: amici Societatis animos sumunt: qui nostros vexandi vel auctores fuerant, vel ministri, cum pœnæ metu,

Iona. 1.

tum verò conscientia angore crucian-
 tur, quòd intelligerent se longius pro-
 gressos, quam æquitatis & religionis
 ratio patiebatur. Ad summam (quoni-
 am posteriora consilia, vt est in pro-
 uerbio, sapientiora sunt) Archiepisco-
 pus sua ipse decreta refigit, & mutat:
 quam nostri habeant à Sede Apostoli-
 ca facultatem, in templis promulgari
 iubet. Per certum hominem nostri e-
 uocantur: venientibus Magistratus
 vult obuiam procedere. Quod cum ap-
 propinquantibus renunciatum esset,
 viros quosdam pernobiles, suiq; aman-
 tissimos (per quos res agebatur) nostri
 multis, & supplicibus verbis rogant,
 obsecrantque, ne se tanto pudore affi-
 ciant, & præterita ex ignominia gau-
 dium quod cœperint, præsentis hono-
 ris dolore commutent. Vbi ne tertio
 quidem recusantes, quicquam profici-
 unt (quòd illi publicas cõtumelias, pu-
 blico honoris testimonio obliteran-
 das dicerent) obediētis iure cõpulsī ad
 Urbem accedunt. Fiunt eis obuiam ad
 portā omnes magistratus, Senat⁹, & ex
 præcipua nobilitate viri clarissimi, ma-
 gna hominum vis, ipse deniq; Archie-
 piscopi Vicarius. Eos in mulas para-
 tas cogunt ascendere: ciues faciliè pri-

mi latus eorum cingunt: celeberrima atque frequentissima via domum deducunt, in qua à Prorege, fideique Inquisitore expectabantur. A Petro Augustino Oscēsi Episcopo (quem & Augustinum à Castello, virum grauem, doctum ac prudentem, in ijs rebus præcipuos Societas propugnatores habuit) Missæ sacrificio Pontificali ritu peracto: summa bonorum lætitiæ, suis sedibus postliminio restituntur. Hic tempestatis Cæsaraugustanæ finis fuit: quo ex tempore, magnum hoc Collegium incrementum accepit, & tam propensum totius ciuitatis studium, & erga se beneuolentiam semper deinceps expertum est, vt crebritate ac magnitudine beneficiorum, nobilissimi ciues testari velle viderentur, non sua culpa sed vulgi, fluctus illos tunc fuisse excitatos. Consecuta porro tranquillitas votis Ignatij atque verbis respondit. Nam simul atque procellosum illum in nos turbinem commotum audivit, gaudio exultauit: & singulari quadam cum lætitiæ significauit, tanto vberiores atque suauiores fructus Cæsaraugustæ Societatem nostram producturam, quāto per patientiam

tiam & malorum tolerantiam, altiores egisset radices.

*IN BELGAS NOSTRIS PATE-
fit editus. Varijs Collegijs Societas
augetur.*

CAPVT XV.

Reditus nostrorum in *Castarau-*
gustanara urbem, eam in Hispa-
nia de nobis suspicionem com-
pressit, quã exitus mouerat. Itaq; à tem-
pestate & procella illa, & quidem tam
turbulenta, non solum imminuta non
est de Societate bonorum opinio, ve-
rum etiam aucta, & cõfirmata: ex quo
Collegia nonnulla per id tempus con-
stituta sunt. *Murciæ* in primis *D. Ste-*
phani Almeida, eius urbis, nouæque
Carthaginis Episcopi: in *Monte Re-*
gio (quod oppidum est in *Gallecia*) e-
ius ipsius oppidi *Comitis* beneficen-
tia: *Ocaniæ* *Ludouici Calataiudij* be-
nignitate: in oppido præterea *Mon-*
tilla, institutum Collegium est ab o-
ptima atque clarissima *Catharina Fer-*
nãdez à Corduba *Plieghi* Marchione,
quæ tanta beneuolentia Societate cõ-
plexa est, vt eius tuendæ atque ornandæ,
proprijs partibus sibi desumpsisse vide-
retur.